



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

§. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

S. III.

Hoc genus reuelationum de rebus futuri fuit alterum, quod omnes admirabantur, & quo magnum faciebat fructum: cuius etiam sunt multa & præclara exempla, quæ in varijs partibus euenerunt. Primum fuit Abulæ, cum quadam sua pœnitente, quæ valde anxia ob sui viri absentiam, (qui etiam erat eidem Patri valde piè addictus) de quo diu nihil scire potuisset, accessit, ut Sancto suo Confessario calamitem suam aperiens, consolationem ab eo accipiet. Ipse audiens eam, & flentem videns, incepit & ipse tenerè cum illa flere: donec attendens, quid faceret, dixit: quam ego consolationem adfero flens eum flentes sed cessamus à fletu, bene enim res habebit: nam vir tuus absque dubio hac septimana reuertetur. Et ita est factum: vxorque viro retulit, P. Balthassarem id futurum prædictum: quo illa valde fuit excitata ad magis seruendum Deo, gratias ei agens, quod tales Confessarium esset fortita. Simile quid euenit eidem viro qui Patri cuidam Societatis (cui post P. Balthassaris ex Abula discessum confitebatur) dixit: o quam Sanctus vir, Pater ille erat! & quam eius verba cor inflammabant. Semel (inquit) valde desolatus ad eum accessit, eò quod meo iudicio Socrus mea iam obiijset, & quarebam, qui illam sepeliret: ego vero ingenti dolore afficiebar, quod illa res quasdam magni momenti ante mortem non declarasset. Pater afflictum consolans dixit: illam necdum obiisse; & supereesse adhuc

ad hoc tempus, ut res illas declararet, & ita fuit
nam verbis illis ego animatus, redij domum, &
ad hoc viuentem inueni: declarauit illa quod ego
optabam, & statim quasi vna auicula obiit. Hec
retulerunt duo hic afflitti coniuges, ad quorum
consolationem reuelauit Deus sancto eorum
Confessario, quod in eorum tribulatione esset illi
lis subsidium & leuamen.

QVID D A M aliud non minus stupendum re-
tulit de se ipso, quidam Societatis Pater, fide om-
nino dignus, qui dum valde affligeretur, quod se
videret iam proiecta ætatis, sine illis tamen do-
tibus ad proximos iuxta nostrum Institutum in-
uandos, sæpius hanc difficultatem & tentationem
cum P. Balthassare communicauit: qua nihil omni-
nus durante, & ipso non audente ulterius de ea
cum Patre loqui: occurrens tamen eidem quadam
die in ipso Collegio, animo valde deiecto dixit
ei: Pater, molestia hæc ac difficultas adhuc me ve-
xat, cui P. Balthassar: existimas ne esse in Societe-
te media ad salutem consequendam? quo respon-
dente; esse: replicauit vir Sanctus: non solum tu
saluaberis: sed multos etiam alios iuuferis, vt sal-
uentur, & viues in Societate contentus. quo au-
ditio prorsus euauit illa tentatio, & verum fuit,
quod seruus hic Dei in eius nomine illi dixit.
Nam idem Pater fuit postea insignis operarius in
Collegio nostro Salmaticensi: in quo, Rector
eodem Patre Balthassare, acciderunt si-
miles alij casus, quos suis locis
reddemus.

* *

CAP.